

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5725

**Auteur(s) :** Bernard, Saint-Victor-l'Abbaye, Saint-Victor-en-Caux (abbaye, abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Ouen (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1206

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'abbé Bernard de Saint-Victor-en-Caux, le prieur Regnaud de Saint-Ouen et le prieur Ascius de Noyon-sur-Andelle notifient l'arrangement fait entre les moines de Saint-Ouen de Rouen et le prêtre Alexandre de Perriers[-sur-Andelle], sur la controverse survenue entre ces derniers sur ce que le prêtre Alexandre avait exigé auprès des moines de Saint-Ouen pour la raison de la vicairie de l'église de Perriers[-sur-Andelle].

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissay, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 524.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Bernardus, abbas S. Victoris de Caletto, Reginaldus, prior S. Audoeni, et Ascius, prior de Noion super Andelam, salutem in Domino. Ad universitatis vestre volumus noticiam pervenire quod, cum quedam controversa verteretur inter dominum abbatem et conventum S. Audoeni Rothomagensis, ex una parte, et Alexandrum, presbyterum de Periers, ex alia, super quibusdam procuracionibus, candelis, duabus acris terre decimis feni et fructuum, oblationibus, pasnagio et suo ardere, quod cum predictis dictus Alexander ab abbate et conventu S. Audoeni exigebat ratione vicarie ecclesie de Periers, post multam super hoc in curia domini archiepiscopi Rothomagensis litigationem hinc inde factam, tandem pars utraque assensu unanimi nos arbitros elegit et in nos tanquam in arbitros compromiserunt, prestita nobis cautione quod arbitrio nostro starent abbas et monachi supra dicti, presbyter etiam supra scriptus. Nos vero per notos et vicinos qui de hiis plenius noverunt ac hujus rei veritate plenius et diligentius inquirentes, inter prefatos abbatem et monachos S. Audoeni Rothomagi et prenominatum Alexandrum in hunc modum sumus arbitrati, videlicet quod idem Alexander debet singulis diebus procuracionem suam habere et percipere in domo S. Audoeni apud Periers, et debet eodem pane, eodem cibo, eodem potu participare cum monacho qui eandem domum de Piris custodiet, ita quod sedebit eidem monacho proximus ad mensam nisi altior et honoratior supervenerit. Si vero in eadem domo de Piris defuerit vinum de instauramento, monachus mittet pro uno galone vini et ex eo biberet ipse et vicarius communiter. Si vero plus vini vel potus habere voluerint, monachus duos denarios, et vicarius unum mittet propter vinum vel alium potum. Si autem vicarius minutus, fuerit vel propter aliquod negocium domi remanserit, ipse de domo monachi duos panes unum talem qualem monachus comedit et alium minus album et unum ferculum coquine percipiet. De potu autem nichil habebit de consuetudine. De candelis arbitrati sumus quod monachus duas partes candelarum et vicarius terciam partem habebit, ita quod ex sua tercia parte in ecclesia

S. Stephani de Piris luminare inveniet, duabus partibus monacho libere remanentibus. De duabus acris terre protulimus arbitrium quod S. Audoenus habeat decimam terre illius, nisi vicarius habeat scriptum sufficiens vel testes per quos eandem decimam suam esse libere probare possit. De decimis feni et fructuum arbitrati sumus predictum vicarium in possessione remanere debere, sicut predecessores sui Engerrannus et Gislebertus inde saisiti fuerunt, ita quod si dominus abbas et conventus S. Audoeni in eisdem decimis aliquod jus suum reclamare voluerint, ipsum jus suum prosequantur ubi debuerint vel potuerint. De oblationibus que manducari possunt, sicut sunt panes, ova, casei, pulli galinarum et anserum, arbitrati sumus, quod hec omnia debent deferri ad domum S. Audoeni de Piris et ibi a monacho et vicario communiter manducari ; similiter et agnos inter Nathale Domini et carniprivium arbitrati sumus ad domum S. Audoeni predictam debere deferri, et ibi a monacho et vicario communiter manducari. De pasnagio vero protulimus arbitrium, quod si vicarius habeat duos porcos vel tres ad nomen (?) suum proprium, non debet pasnagium nec stoblagium. De ardere presbyteri arbitrati sumus quod nichil de consuetudine habere debet. Nos itaque super premissis rei veritatem a clericis et laicis sacratis diligentius inquisitam presente scripto annotare et sigillorum nostrorum dignum duximus patrocinio communire. Actum fuit hoc anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo sexto, in curia domini archiepiscopi Rothomagensis, presente domino Radulfo filio Giroudi, tunc officiale.